



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt IX. Famis, ad charitatem exercendam, usus, & abusus ad
exercendam immanitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

quibus restituendis oleum & opera perderetur. Neque diuina sapiunt, qui existimant, nimis crudelem esse pœnam, famem induci, per totas regiones, ob conuiuiorum hilaritates, & , vt vocant, inuitantium amicitiam atque charitatem. Nam hoc etiam ad cumulum peccantium culpasque accedit, excusare delicta, accusare seueritatem visitantis, irasci suadentibus pœnitentiam, & iustitiam punientis defendentibus. Quæ verba his respondenda sunt? Silendum est, vt in summis malis fieri solet. Siquidem plorare magis conuenit deploratos, quàm loqui non audituris. Audiant tamen Dominum exercituum, & metuant, & contremiscant. *Audite verbum hoc vacca pingues, quæ estis in monte Samaria: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Hic optimates quosque, non boues aratores, sed, per sarcasum, vaccas pingues appellat; quia residentes domi, ventri & gula seruebant, opprimendo egenum, & confringendo in iudicio pauperem, vt bona illorum in suos redigerent vsus, ait ibidem Strabus. Itaque *leuabunt vos in contis, ait, & reliquias vestras in ollis feruentibus*, quemadmodum vaccarum carnes in vectibus solent leuari, & postea in ollis feruentibus coqui. Nam populus ille impius ab Assyrijs erat obsidendus, & post multas calamitates fame pestilentiaque in oblectis ciuitatibus excoquendus. Neque hæc ad decem dumtaxat tribus dicebantur, sed ad nos quoque, quos non par est in pœna impares esse ijs, quibus sumus in culpa pares.

CAPVT IX.

Famis, ad charitatem exercendam vsus; & abusus ad exercendam immanitatem.

I.



Ratores quidam, aut declamatores, vt se in dicendo exercerent, paradoxa quædam sibi ad dicendū sumpserunt argumetra. Quidam Helenam, Paridem alij; alij podagram, nonnulli ipsam pestilentiam laudauerunt. Quædò æquius etiam Famem verbis extollere potuerunt? Quæ sanè,

fanè, tametsi, uti tamquam malum aliquod naturæ, neq; amanda, neque laudanda est; laudandus tamen & amandus est in illa Deus, quia per eam, tamquam per flagellum, homines affligit, ut resipiscant. Sic Paulus ait: *Gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum DEVM, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Pari pacto, etsi, in terris preces fundimus, ad famem à nobis auertendam; in celo tamen multi gaudebunt, famem extitisse; atque eam ipsam laudabunt, non solum obieiunij & abstinentiæ præmium; sed etiam quia in ea diuinæ providentiæ veritatem, æquitatem, iram, & pœnam agnoscentes, pœnitentiam egerunt. Immo, quia fames causa fuit, ut felices misericordine fierent aliena, quemadmodum Aelius loquitur. Qui enim esuriei alterius miseretur, charitatem exercet, celum emit. Siquidem si *quicumq; potum dederit calicis aqua frigida, non perdit mercedem suam;* cur perderet, qui panem porrigit inopi esurienti? Ideò vnus indiget, & alter abundat, ut abundans det indigenti; & indigens petat ab eo, qui abundat. Quod si verò magni est, apud cælestem Patrem, meriti, quando vnum è filijs eius tunc saturamus, cum ab alio habere posset, & annus est in vilitate; quantò plus merebimur, in summa caritate & inopia, liberales? Quantò enim tunc maior est necessitas proximi, tantò illustrior est miseratio porrigentis. Datur namq; tunc & magis indigenti; & ab eo, qui ipse potest metuere, ne indigeat. Quare & spem habet eminentiorem, dum, periculo contempto, DEVM confidit omnia compensaturum: & opus facit nobilius, ob difficultatem faciendi.

Tali spe fuit Basilus Magnus, de quo Gregorius Nyssenus hæc habet. *Fames grassabatur, & quidem post hominum memoriam atrocissima. Languibat ciuitas, nec ex vlllo loco auxilium afferebatur, nec vlla calamitatis Medicina. Nam maritime quidem vrbes eiusmodi rerum penurias facile sufferunt, dantes nimirum ea, quibus affluunt, ac vicissim ea, quibus carent à mari accipientes: at nos, qui procul à mari degimus, nec ex ijs rebus, quibus abundamus, vtilitatem vllam capimus, nec ea, quibus egemus, vllâ arte comparare possumus: ut qui nec ea, qua habemus exportare, nec ea, quibus caremus, importare queamus. Sed in huiusmodi malis nihil grauius atq; acerbius, quàm crudelitas*

II.
Greg. Nyssen.
orat. in laudes Basil.
Magni.

Prou. 19.

Eccli. 29.

Prou. 11.

Exod. 16.

3. Reg. 17.

Ioan. 6.

1. Cor. 14.

Isa. 58.

Tob. 4.

Luc. 1.

Ioan. 13.

delitas cupiditasq; inexplebilis eorum, qui rei frumentaria copiã circumfluunt. Obseruant enim temporum difficultates, atq; ex annonæ penuriã lucrum captant, & ex aliorum calamitatibus messem faciunt, nec illud audientes, Eum, qui pauperi commiseretur, Deo fœnori dare: Nec rursus illud, Eum, qui frumentum abscondit, plebi execrabilem esse: Nec deniq; quidquam aliud eorum, quæ vel humanis & benignis hominibus pollicetur Scriptura, vel duris & inhumanis comminatur. Verùm immodicã quãdam & inexplebili cupiditate flagrant, maleq; sibi consulunt, ut alijs sua, ita sibi ipsis Dei, cuius ope non multò magis se indigere sentiunt, quàm alij ipsorum auxilio egeant, viscera præcludentes. Atq; hac frumentarij mercatores canponesq; faciunt, qui nec cognitionis jure mouentur, nec erga DEVM, cuius munere ipsi alijs inopiã laborantibus in rerum copiã viuunt, grati animi officio funguntur. At Basilius panem quidẽ è celo per orationem fundere, populumq; profugum in deserto alere minimè poterat, nec alimoniam sumptus expertem vasis, fontis instar, scaturire, quodq; vix humani sensus capiunt, inanitione ipsã intumescentibus, ut altricem suam in hospitalitatis præmium aleret, nec postremò quinq; panibus copiosissima multitudinis famem explere, quorum reliquia etiam ipsa talis erant, ut pluribus mensis sufficerent. Hac enim Moysis erant & Helia & DEI mei, à quo ad eos quoq; huiusmodi potestas manauerat: fortasse etiam temporibus illis statuiq; conueniebant: quandoquidem signa infidelibus, non fidelibus dantur. Verùm, quæ bis consentanea sunt, & eòdem tendunt, ea cum pari fide cogitauit atq; perfecit. Apertis enim oratione suã & cohortatione locupletum horreis, facit, quod est in Scripturã, cibum esurientibus frangit, panibusq; pauperes satiat, alitq; eos in fame, atq; esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? neq; enim hoc ad laudis cumulum parui momenti est. Nam cum eos, quos fames vulnerarat, in unum coëgisset, nonnullos etiam spiritum agrè trabentes viros, feminas, puerulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam, omnia ciborum genera, quibus fames depelli posset, corrogans, atq; ollas pulmentariorum falsiq; nostratis obsony, atq; ad leuandam pauperum famem accommodati plenas proponens: ac deinde Christi, qui linteo pracinctus discipulorum pedes abluere nequaquam granabatur, ministerium imitans, simulq; puerorum siue conseruorum suorum ad eam rem operã utens, corpora pauperum animasq; curabat, honorem cum neces-

necessario alimento connectens, ac dolorem eorum utrimq; leniens. Tā-
 lis erat novus noster procurator & secundus Ioseph: immo etiam quid-
 dam habemus, quod de nostro magnificentius predicemus. Ille enim
 arte fami occurrit, ac benignitate Egyptus emeretur, ubertatis
 tempore ad famem venturam commodissime usus, aliorumq; in somnijs
 ad eam rem ordinatus: hic autem gratuitam beneficentiam exerce-
 bat, neq; in hoc frumentario largitionis auxilio questum ullum capta-
 bat, id unum spectans, ut misericordiam misericordiam sibi conciliaret,
 ac pro terrenā frumenti erogatione caelestibus opibus frueretur. Accede-
 bat sermonis alimonia, pleniusq; beneficium ac munificentia, illa in qua
 verè caelestis ac sublimis: Siquidem Angelorum panis sermo Diuinus
 est, quo aluntur atq; irrigantur anime DEVM esurientes, ac cibum non
 desluentem & abeuntem, sed perpetuò manentem expetentes, cuius ipse
 dispensator erat, & quidem perquam locuples, homo alioquin omnium,
 quos noui, tenuissimus atq; egentissimus, non panis famem aut sitim
 aque sanans, sed verbi illius verè vitalis ac vim alendi habentis, eumq;
 qui rectè nutritur, ad spiritualis aetatis incrementum ducentis, auidi-
 tatem explens. Ob hæc igitur ac tanta (quid enim omnibus recensē-
 dis longiorem moram trahere necesse est?) cum is, qui nomen à pietate
 appositè ducebat, ex hac vitā migrasset, atq; in ipsis manibus animam
 suauiter exhalasset, ad excelsam Episcopatus sedem euehitur: non id
 quidem citra laborem, nec citra inuidiam & dimicationem tum eorū,
 qui patriam cum imperio administrabant, tum perditissimorum quo-
 rumcumq; huius urbis civium, qui ab illorum partibus stabant. Verūm
 fieri aliter non potuit, quin Spiritus S. vinceret, atque adeò abundè
 vicit.

Gen. 41. 42.

Omnia, quæ hucusque, ex D. Gregorio recensui, sunt do-
 cumenta, in fame, erga proximum seruanda, quæ ille demonstrat,
 D. Basilium seruasse, à quo alij scribunt, adhuc presbytero prædia,
 possessionesq; venditas, pecuniamq; in alimenta conuersam,
 vt inedia laborantibus posset succurrere, adeò vt etiam Iudæo-
 rum liberos huius benignitatis & liberalitatis ex æquo partici-
 pes faceret. Documenta autem, quæ etiam nobis sunt capienda,
 præcipuè sunt. 1. vt, dum alij esuriunt, frumentum non abscon-
 damus, neque dicamus, farinam, aut panes non haberi, quod fa-
 ciunt, qui aut pretium, & famem augere volunt, habendi cupidi-

III.

L 2

tate

tate inflammati, aut qui Deo diffidunt, ne & ipsis subducat, quod comedant. Quasi ille auaros magis curet, quàm liberales; aut immisericors sit erga misericordes. Contrarium efficiunt. Nam dum habent, & negant, etiam DEVM, qui habet, vnde eos alat, docent negare; immò propemodum cogunt. 2. Discimus, in fame, non miracula petenda, & panem è nubibus cadentem; sed modos viasque naturales adhibendas, magisque tunc Promos, quàm Condos in familiam asciscendos. 3. Adeundos locupletes, & adhortatione aures primùm, tum etiam cistas, & granaria illorum aperienda. 4. Non fugiendos aut declinandos esse miseros, neque expectandum, donec ipsi fores nostras pulsent; sed vltro quærendos, sed conuocandos, sed cogendos, vt ijs & ostia & viscera patefaciamus. Si enim opifices nonnulli circumeunt, & quærent, vbi laborando lucrum possint reportare; cur non & nos lucrum hoc spirituale quæramus? Ad hoc DEVS famem facit, vt tibi charitatis exercendæ & lucri faciat occasionem. 5. Christi, & Basilij exemplo, lauandos miserorum pedes, vt & corpora eorum cibus, & mentem humilitate nostra reficiamus. Neque putandum est, hoc ad veteres dumtaxat sanctos, aut ad religiosos pertinere; cum complures Principes, etiam nostra hac ætate, sciam pauperibus pedes abluisse. 6. Non aliena tantùm liberalitate, sed proprijs opibus inopes refocillandos. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua saturitate, & vine torcularia tua redundabunt*, ait Salomon. 7. Addenda solantia verba, & ad patientiam, fiduciamque in DEVM excitantes exhortationes; vt & anima cum corpore pascatur. 8. Magnam, & in hac, & in altera vita, misericordibus superesse mercedem; nam, Basilij instar, non rarò euehuntur ad magnas dignitates, qui minimis succurrunt, & postquam morte defunguntur, etiam ipsi misericordiam reperiunt.

Prom 3. 92

IV,
Florentius
Abbas in vita
eius, apud
Sur. Tom. 6.
cap. 4.

Immò reperiunt etiam in hac vita. Vt enim illi non sinunt Christum in pauperibus esurire, ita nec ipsos patitur Christus, in fame, famem pati; sed pascit vicissim pascentes se. Iudocus Britonum regis filius, eò inopiæ adactus est aliquando, vt pro se, proque discipulo suo Vulmaro, in victum quotidianum non haberet,

beret, nisi modicum panem. Hæ regiæ tanti viri dapes erant. Sed fuit misericordia eius, & Dei de suis cura pariter patefacienda. Itaque Christus mendicabuli vilissimi palliastro tectus, à paupere stipem rogavit. Ille, cum aliud nihil suppeteret, panem suum unicum iussit quadrariam æqualiter diuidi, mendicantiq̄ue partem vnã è quadrantibus dari. Vix exierat iste, cum alius, immò idem Dominus sub alia pauperis specie, intrauit, præ inedia defecturus, vt apparebat. Iudocus igitur mandauit, vt quadrans alter ei præberetur. Nec mora, vix enim & iste abierat, cum alius, enim verò idem diuinus Vertumnus, alio rursus schemate sub tectum intrauit, multò quàm prior, vultu miserabiliore, & magis famelicus. Abstulit ergo & tertiam panis partem. Restabat vltima portio, in exiguum Iudoci, atque discipuli eius solatium. Vt ergo absoluta eius & perfecta in miseros charitas mundo ostenderetur; rursus in alia effigie mendici rediuit Dominus eleemosynam rogitans, sicut iam tertio antè fecerat; nec erat vnde reficeretur, nisi de residuo vltimo panis quadrante, qui duobus incœnam supererat, nec vni suffecturus. Quid faceret hîc vir Dei, qui pauperum magis, quàm sui curam habebat? id ergo etiam, quod unicum supererat frustillum panis, pauperi iussit erogari. Quod cum videret Vulmarus: non potuit se continere, quin diceret: *Nihil nobis vis reseruare, Pater?* Cui Iudocus respondit: *Volo totum tribui esurienti, quia potens est Dominus etiam hodie nostræ providere necessitati.* Quanta vis est fiduciæ in DEVM? Vix recesserat in mendici imagine Dominus, eo ipso tempore, quo vir sanctus discipulum de liberali panis erogatione commotum adhuc consolabatur; ecce per fenestram prospiciunt ambo, vidētque in alueo fluminis quatuor nauiculas optimo comœatu victuq̄ue oneratas. Nimirum pro singulis panis distributi particulis, integram nauiculam de cælesti granario remisit Dominus. Nam quis eas adduxerit mercibus instructas, aut quis denuo abduxerit exoneratas, non constitit. Non fuit ergo dubitatum, ab Angelis fuisse aduectas & auectas, docentibus nihil amitti, sed cum multo fœnore reddi, quæ famentibus mendicis distribuuntur.

Sed vt hæc omnia tantò impensius discamus facere, quàm

V.

L 3

dignum

Niceph. Cal-
list. lib. 7. hist.
Eccl. cap. 28.

dignum miseratione malum sit fames pariter, & quàm ardentè in ea charitatem exercuerint Christiani, in alio exemplo ostendamus. Sic enim loquitur, in Ecclesiastica historia Nicephorus, postquam edictum Maximi, contra Christianos, impium fame punitum recitavit. *Eiusmodi litteris contra nos publicatis, spes rerum meliorum omnis, quantum in nobis situm est, praecludebatur, & electi quoque inter nos, ut est in sacro oraculo, non in mediocri delabantur scandalum & offendiculum. Verùm enim verò omnibus tantè inexpectatà rerum mutatione consternatis, quum adhuc passim in itineribus decreta ea essent, & ad multas urbes nondum perlata fuissent, qui omnia solo nutu & voluntate sua facit & mutat Dominus, gloriosam Tyranni superbiam veluti strangulans, derepentè auxilium celitus talit. Statim enim solita pluvia, hiberno etiam tempore, in nubibus ipsis vincita sunt & retenta: fames mox consecuta & deinde pestilentia. Accessit ad eas clades, qui propter colorem igneum carbunculus dicitur, hucus odoris pestimi, membra corporis admodum contrahens, & quod latius serpens ingens crearet periculum, occupatisque oculorum angulis, viros simul & mulieres, quas occupasset, luminibus orbaret. Bellum insuper Maximino ab Armenis illatum, qui antea socij Romanorum fuerant, Belli causa erat, Christiana fides & religio. Quòd enim homines inducere atque persuadere illis voluit, ut quem Christo prestabant, idolis offerrent cultum, ex amicis hostes eos habuit. Qua mala omnia eodem tempore coaceruata, tyranni audaciam furoremque contra numen conceptum satis coarauerunt. Et cum per jactantiam gloriosè, eò quòd Christianos persequeretur, atque idolorum cultum propagare studeret, sibi polliceretur, non famem, non pestem, non bellum imperij sui ditionem inuasurum esse: clades ea confertim cumulate, quum ineptam jactantiam & audaciam eius represserunt, tunc enervationem interitumque eius iam iam affuturum, certò satis indicauerunt. Et ipse quidem, expeditione bellicà cum copijs suis contra hostes susceptà, quotidie viribus amissis inferior abibat. In urbibus autem & locis imperij sui reliquis pestis fami implicata sanissimè grassabatur. Tanta porro annona erat & rerum necessariorum penuria, ut medimnus unus tritici bis mille quingentis Atticis compararetur. Permulti sanè etià in urbibus cadebant. Rusticorum autem, qui in agro mortui sunt, multitudo numerari non poterat. Et ferè eos omnes saeva consumpserat pestis. Nonnulli res sibi*

charissimi

scharissimas locupletioribus paruo panis frusto diuendebant. Alij, possessionibus suis apud creditores depositis, ad summam inopiam redigebantur. Erant, qui fœni rejectamenta ruminantes & perniciosas herbas adyccientes, emoriebantur: Mulieres honesto loco natae, inopiâ rerum omnium ad inuerecundam redacta necessitatem, in foro obambulantes stipem mendicarent, pudore quodam & mundiore vestitu pristinam deliciarum affluentiam & libertatem tacite quodammodo præseferentes. Quidam pallidi & summè macilenti, perinde atq; simulacra quadam, rerum omnium egeni, hinc & inde oberrantes atq; lapsantes, proni in trinijs ipsis concidebant, subsidij omnis expertes: & ad hoc unum, egrè firmi ut fame se premi testarentur, miserandaq; voce à pratercun- tibus cibi fructum sibi praberis suppliciter peterent. Locupletiores porrò propter mendicantium multitudinem desperantes cum multa eis largiti essent, tandem & ipsi in seuam famis indigentiam perueniebant & cum eadem qua indigentes paterentur, non satis humaniter eam sortem- ferebant. Plurimis ergo diebus nuda cadauera passim jacentia, miser- rimum adhuc viuentibus prabuère spectaculum. Iam nonnulli etiam canibus esca erant: cuius rei gratia frequens canum cados fiebat, quòd metus esset, ne illi in rabiem alti humanae carnis cibo assuescerent. Pe- stilentia verò domos ipsas peragrans, omnes carpebat, atq; imprimis di- tiores conficiebat. Et quos fames non enecauerat, eos contagiosa pestis lues tollebat. Itaq; suspirijs omnia plena esse, domus, platea, fora, lu- ctus ubiq; & va, cum solitis illis vociferationibus & plangentibus exau- diebantur. Et duabus hisce quasi armaturis, fame & peste, mors ipsa depugnans, generationem & populum eius temporis ferè omnem sustu- lit. Eademq; die quamplurima afferebantur cadauera, & innumera quotidie fiebant sepulchra. Hac autoramenta & pramnia, edicta con- tra nos proposita gloriosi & arrogantis Maximini sunt consecuta. Quà tempestate multi nostrorum hominum egregia vere pietatis sua edidère documenta. Humanitatem enim suam declarantes, cadauera, qua passim insepulta jacebant (erant ea quàm plurima) cum curâ sepelie- bant: quos verò fames vexasset, eis congregatis panes alimentaq; alia praebebant, pro facultatum scilicet copiâ. Unde longè lateq; fama cele- bris de nobis vulgata, qua ex omnibus alijs hominibus vera pietatis cultusq; diuini laudem nobis tribuit, & Christianorum inspectorem- curatoremq; Christum magnificè laudauit, Cladibus istis peractis, sa-

lutiis

lutis DEVS, tutor & propugnator noster, ostensâ satis & exhibitâ irâ & indignatione suâ, per eas, quas cumulâtè immiserat calamitates, propter petulantem temerariamq; ei illatam injuriam, susceptasq; aduersus nos inimicitias, providentiâ suâ latiora nobis affulgere tempora fessit, & post densas tenebras lucem ineffabilem pacata tranquillitatis prâbuit. Eo profectò tempore certò declaratum est, DEVM ipsum, spectatorem & moderatorem esse rerum nostrarum, qui quidem flagello in afflictionibus, conuersionis castigationisq; suorum gratiâ, vitur: cœrcione, & quasi disciplinâ, pro eo, atq; decet & expedit, peractâ, perhumaniter & paternè eos respicit, qui spem salutis firmam in eo collocatam habent.

VI.
Psal. 144. 5.

Greg. Turon.
de gestis
Francor. lib.
3. cap. 12. &
lib. 10. cap. 31.

Luculentam hanc historiam, si in documenta libet partiri, intelligemus multa, ô DEVS, quæ magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribiliû tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. Nam discimus 1. Sicut ob impium in Christianos Maximini edictum fames inuasit, ita sæpè magnorum Principum crudelia decreta publicas totis provincijs pœnas inducere. Priuata delicta priuatis, publica publicis pœnis puniuntur. Hinc Turonensis ille magnus Episcopus, cui nomen Iniurioso fuit (cùm nihil minùs egisset in vita, quæ virtutibus omninò fulgebat) magnæ famæ Pastor, qui Papæ Vigilij tempora fortunauit; cùm Galliæ rex Clotarius edixisset, vt omnes sui regni Ecclesiæ fructuum partem tertiam fisco persoluerent; & ceteri Episcopi, licet inuiti consensissent, viriliter vnus ipse resistens iniquo regis postulato subscribere noluit, atq; ita est cum rege locutus: *Si, qua Dei sunt, tollere volueris, Præpotens Dominus celeriter regnum tuum adimet. Est enim perniximum, & minimè ferendum, vt pauperes, quos horreis tuis ipse alere debes, sua illi stipe tua implere cogantur granaria.* Hæc ita liberè effatus, nec regi valedicens, iracundus abcessit. Rex tremefactus, & sancti quoque Martini in Turonensi Episcopo virtutem reformidans misit, qui abeuntem muneribus placarent. Itaque venia petita, & lege, quam tulerat, abrogata, apud D. Martinum illius sedis quondam Episcopum sese commendari suppliciter postulauit. Sæculo nostro ne pares his desint, ipsi Clotharij sunt Iniuriosi. 2. Nemo debet offendi, aut scandalo turbari, quasi DEVS Mundi sui

di sui curam deposuisset, cui cibum non subministrat. Quia cu-
 rat, idèd multat: negligeret, si non plederet. Neque injuriam
 facit, si aut escam subducit (cùm hoc & medici faciant in mor-
 bis, qui inedia curantur) aut, Magistratu delinquente, subditos
 fame enecat; vult enim vel subditos tali magistratu liberare, & è
 vitæ huius calamitatibus educere ad cælestem mensam; vel certè
 vult Principes tali populo priuare; qui tamè populus sæpe etiam,
 si non particeps est flagitiorum sui magistratus, saltè impatien-
 tia & maledicentia in Superiores, meretur castigari. 3. Disci-
 mus quàm meruenda sit ira DEI, qui etsi vocetur & sit DEVS pa-
 tientia, vnde & diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis
 multi contemnunt, ignorantes quoniam benignitas DEI ad pœni-
 tentiam illos adducit; tamen subinde non differt pœnam. Nam
 eùm adhuc passim in itineribus decreta Maximini essent, & ad mul-
 tas vrbes nondum perlata fuissent qui omnia solo nutu & voluntate sua
 facit & mutat Dominus, gloriosam Tyranni superbiam veluti stran-
 gulans derepentè auxilium calitus tulit. Statim enim solita pluuia,
 hiberno etiam tempore in nubibus ipsis vincta sunt & retenta. Vnde
 & 4. potentiam diuinam perspicimus, vnà cum celeritate puni-
 endi; potest enim pœnam vel è caelo ac nubibus deuocare, vt
 eùm imbres suspendit, aut eùm, igne misso, duos quinquagena-
 rios, ac bis quinquaginta viros, velut in ictu oculi, consumpsit:
 vel terram hiulcare vt deuoret impios, sicut exemplum fecit in
 Core, Dathan & Abiron, quos terra viuentes deglutit, cum
 tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Erratis, impij, si
 vobis securitatem, si seram vindictam promittitis. Expectat
 multos quidem DEVS ad pœnitentiam; multos in ipso facinore,
 scelere adhuc flagrantès elidit; sicut per Phinees pugionem vo-
 luit perfodi virum Israëlitè, cum scorto Madianitide, in lupa-
 nari; &, per Spiritus Angelicos, capite plecti Vdonem Episco-
 pum Magdeburgensem. Caue tibi, quisquis hac nocte, flagitium
 cogitas, forsitan hac nocte implebitur mensura tuorum pecca-
 torum. Sicut & illius, qui frumentarij pretij captator dicebat:
Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructum meos. cui di-
 xit DEVS: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: qua autem
 parasti, cuius erunt?*

Rom. 15. 51

Rom. 2. 4.

4. Reg. 1. 10.

Num. 16. 32.

Psal. 105. 17.

Num. 25. 11.

Luc. 31. 17.

M

5. Etiam

VII.

5. Etiam grauitatem diuinæ poenæ expendere hîc licet. Nam siccitatem fames mox consecuta, & deinde pestilentia, eaque odore pessimo nares, oculos cæcitate, plurimos intolerabili dolore, ac tandem etiam morte afficiens. Quin & bellum coronidis loco Maximino est superadditum. *Que mala omnia eodem tempore coâceruata, tyranni audaciam furoremq̃, contra Numen, conceptis satis coarguerunt.* Sapienter David, è tribus poenis, pestem, tamquam minus malum, vel hinc videtur, elegisse. Non enim è peste fames, sed ex fame pestis, è bello & fames, & pestis oritur, de qua re tamen paulò post accuratiùs est differendum. E quibus poenis aliàs vnâ, aliàs alteram; aliàs geminam, aliàs triplicatam, tamquam tergeminaam Furiam in Mundum immittit, prout mortalium culpâ vel simplex, vel duplex, vel tergeminum flagellum promeretur. Multi crapula atque ebrietate deliquerunt, fame igitur & siti eos cruciat diuina æquitas. Et cur famem non mererentur, quorum auaritia optauit sterilitatem? Corpus multi illicitis obscœnisque voluptatibus immerferunt, vlcere igitur & peste delicias compensant. Rapuerunt alij, & spoliarunt pupillos, expilarunt viduas, subditos bonis suis euerterunt; meritò igitur & ipsi hostem experiuntur prædas agentem, incendientem villas; omnia populantem. Ac famem quidem, iustis Dei iudicijs merentur, qui famem optant, qui fame ad auaritiæ compendia abutuntur, dum frumentum recondunt, dum non sunt contenti agrorum lucro, sed ipsa cogunt granaria iniquissimæ vsuræ fieri instrumenta. *Fœcunda terra multiplicatum reddit, quod acceperit, inquit S. Ambrosius. Fidelis ager fœneratos solet restituere prouentus. De rebus igitur uberis gleba expectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli iusta sperare compendia. Cur ad fraudem conuertis natura industriam & indulgentiam? Cur inuides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minus abundantiam? cur affectas inopiam? cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fecunditatis, te auctonante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quàm te, de fame publicâ negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras, quando sterilior*

S
li. Ambros.
lib. 3. de of-
ficijs. cap. 6.

vilior sit prouentus, quando exilior partus, votis tuis gaudes arrisissè
 maledictum, ut nihil usquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse
 lataris, tunc tibi de omnium miseriâ congeris opes, & hanc tu industriâ
 vocas, hanc diligentiam nominas, qua calliditatis versutia, astutia
 fraudis est, & hoc, tu remedium vocas, quod est commentum nequitia?
 Latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinij
 tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur
 pretium tamquam sorte cumulatam fœnoris, quo periculum capitis
 aceruat. Tibi condita frugis multiplicatur usura. In frumentum
 quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctioris. Quid imprecaris
 male omnibus, quia maior futura sit fames, quasi nihil frugum superfit,
 quasi infœcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnatum publicum
 est. Immo & priuatum. Inde enim fiunt pauperiores, unde lu-
 crum expectant isti. Luculenta duo exempla recenset Gregorius
 Turonensis. Vnum de Paulino quodam Nolano ciue, & Tarasia
 vxore eius, quam cum iussisset maritus etiam vltimum, quod su-
 pererat, panis frustum pauperi dare, illaque illiberali prouiden-
 tia viro non paruisset, nauim cum tritico illi aduenientem tem-
 pestas abstulit. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem ait: *Intellige,*
te nunc pauperi vnum panem furatam: & ideo hanc nauem esse mer-
sam. Alterum & in naui, & nauclero accidit. Decrepitus senex
 & egenus ad littus maris exierat, inque ipso portu à nautis elee-
 mosynam emendicare cœpit. Durum est hoc hominum genus;
 & à mari discit feritatem. Tamquam è pumice aquam peteret,
 ita siccos omnes atque asperos reperit. Accessit igitur ad illum,
 qui ad clauum sedebat, & primus erat nautarum, huic importu-
 nius assistens, iterum, iterumque dicebat tacenti: *Da mihi aliquid.*
 Tandem igitur, ne nihil impetraret, hæc verba accepit: *Absiste,*
quæso, decrepite, & noli à nobis querere quidquam: nihil enim hic aliud,
præter lapides habemus. Quid aliud durus homo, nisi lapides lo-
 queretur? Nec enim erat is, ad quos Christus dicebat: *Quis ex*
vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem por-
riget ei? Petierat pauper iste filius panem, & nauta ostendit ei,
 tamquam si canis esset, lapidem. Indignatione igitur iusta ac-
 census mendicus in hæc verba sese effudit: *Quandoquidem, præ-*
ter lapides, in hac naui nihil haberi, ais; ut hoc verum fiat, omnia ver-

Greg. Turon.
 lib de glor.
 Confess. cap.
 107. & cap.
 108.

Idem ibid.
 cap 108. &
 Sigebert. in
 Chron sub
 An Dom.
 606. Baronius
 sub. An 605.

Matth. 7. 9.

*tantur in lapides, dictum, factum. Extemplo enim totum nauis onus, quod esui erat idoneum, in saxa conuersum est. Ego enim, ait S. Gregorius Turonensis, ex his & dactylos vidi, & oliuas asperi marmore duriores. Nam cum in lapidis duritiam conuersa fuissent, numquam tamen colorem, quem habuissent, perdididerunt, eadem forma, eademque species erat. Dominus autem nauis patientia motus, inquisitionem senem nusquam potuit reperire; & sicut ferunt, per multas ciuitates de iis, quae in saxa mutata fuerant, ad videndum direxit, ut scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent. Qualia etiam exempla ego in pluribus locis vidi; ut in Bauaria, in templo S. Leonardi, non procul ab Aichensi ciuitate, panem pauperi negatum, in lapidem commutatum, atque inibi asseruatum. Nimirum auari ipso sunt caco-damone nonnumquam peiores. Satan aiebat: *Matth. 4. 3. Dic, ut lapides isti panes fiant*: isti autem, ne sit, quod famelicos alat, è panibus lapides faciunt, sui que cordis duritiam in cibos inducunt.*

VIII. 6. Igitur docet memorata à nobis superius historia, alios esurire, ut alios ad misericordiam commoueat. Epulo ille, qui Lazaro micas negauit de mensa cadentes, postea nec aquae guttam habuit, quam linguam suam refrigeraret. Qui autem esurientes implet bonis, & DEVM imitatur, & cum faenore recipit, quae in benedictione seminauit. Est enim DEVS erga liberales & ipse liberalis. Hinc ait: *Date, & dabitur*; neque sinit famem pati eos, qui in fame, alijs succurrerunt, exemplo Ioseph, qui tempore sterilitatis, omnibus aperuit horrea, non clausit, eaque liberalitate etiam fratres ac parentem paut. Sic fame aliena ad lucrum suum usum Ecdicium memorat Gregorius Turonensis, & nos alibi ex instituto deprædicauimus. Etenim, tempore Sidonij Episcopi, magna Burgundiam fames oppressit. Diffugit populus, & ut famem vitaret, patriam reliquit. Soli ferè pauperes, quibus fugiendi potestas non erat, remanserunt. His, cum nemo esset, qui succurreret, Ecdicius senatorij ordinis vir, Sidonij propinquus, magnam rem & exemplo dignam fecit. Siquidem fame immensum inualecente seruos cum equis & plaustris, per vicinas ciuitates undique dimisit, ut fame tabescentes ad se adueherent. Illi mandato obsecundantes, demum comportarunt, quotquot miser

feros repererunt. Ibi ergo Ecdicius promiscui sexus amplius quam quatuor millia, toto sterilitatis tempore, pauit, & ab interitu famis exemit. Reddita demum frugum vbertate, vnumquemque incolumem pago aut ciuitati suæ restituit. Pro quo tam insigni facto, post discessum istorum, hæc vox, de cælo, illi audita est: *Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi, & semini tuo panis non deerit in seipiternum.* Liberalitas ergo in pauperes, tempore sterilitatis, vsura est, non iactura. Quare congregandi sunt tunc egentes, non eliminandi, ne & vnà Deus eliminetur.

Elegantissimè & penetrantissimè S. Ambrosius ait: *Sed & illi, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent iuuare, separare a commercijs, communis parentis fusos omnibus partus negare, inita iam consortia viuendi auertere, cum quibus fuerint communia iura, cum ijs nolle tempore necessitatis subsidia partiri. Fera ac bestia communem putant omnibus victum, quem terra ministrant. Ille etiam consortem sui generis adiuuant, homo impugnat, qui nihil a se alienum credere debet, quidquid humanum est. Quando ille rectius, qui cum proelia processisset atate, & famem toleraret ciuitas, atq; ut in talibus solent, peterent vulgò, ut peregrini urbe prohiberentur, præfectura urbana curam ceteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros poposcit, ut in medium consulerent, dicens, quam immane esset peregrinos eijci, quam hominem ex homine exueret, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines excludimus? Quam inutile quoq; tot homines mundo perire, quos dira fames conficeret; quantos urbisua perire, qui solerent adiumento esse, vel in conferendis subsidijs, vel in celebrandis commercijs: neminem fame alienà iuuari, protrahere ut plurimum diem posse, nō inopiam repellere; immò tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus, occasura in perpetuum subsidia fragmentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueuerunt. Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni atate pauperunt. Quanta sunt, quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? Non in solo pane viuit homo. Nostra illic familia, pleriq; nostri etiam illic parentes sunt. Reddamus quod accepimus. Sed veremur, ne cumulemus inopiam. Primum omnium misericordia numquam destituitur, sed adiuuatur. Deinde subsidia annonæ, quæ*

IX.

S. Ambros.
l. b. 3. de officijs, cap 7.

his impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro Num-
 quid his deficientibus non alij nobis redimendi cultores videntur? quan-
 tō vilius est pascere, quam emere cultores? Vbi enim repares? Vbi in-
 uenias, quem reformes? Adde, si inuenias, quem ignarum & alieni
 vsus numero possis substituere, non cultui. Quid plura? collato auro,
 coacta frumenta sunt: Ita nec abundantiam urbis minuit, & peregrinis
 alimoniam subministravit. Quanta hoc commendationis apud DEVM
 fuit sanctissimo seni? Quanta apud homines gloria? Hic magnus verè
 probatus, qui potuit Imperatori dicere, demonstrans prouincia totius
 populos: Hos tibi omnes reseruauit, hi viuunt beneficio tui senatus, hos
 tua curia iam morti abstulit. Quantō hoc vilius quàm illud, quod
 proximè Roma factum est, ejectos esse vrbe amplissimā, qui iam plu-
 rimam illic transegerant aetatem flentes cum filijs abijisse, quibus velut
 ciuibus amoliendum exilium deplorarent: interruptas complurium
 necessitudines, direptas affinitates. Et certè arriserat anni fecunditas:
 inuectitio vrbs solam egebat frumento: potuissent iuuari, si peterent ab
 Italis frumentum, quorum filij expellebantur. Nihil hoc turpius, ex-
 cludere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum eijcis, qui
 de suo pascitur? Quid illum eijcis, qui te pascit? Seruum retines, tran-
 dis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impartis? Victum
 extorques, nec rependus gratiam? Quàm deforme hoc, quàm inutile?
 quomodo enim potest utile esse, quod non decet?

X.

Libenter aliud his proceribus ingererem, si pati manum
 sanantem possent. Alunt tot parasitos, tot moriones, tot canes
 aut homines caninos ac Cynicè loquentes & agentes, pereundū
 sibi esse dicerent, si tot pauperes alere deberent. Certè diues ille
 Epulo habuit complures canes, quos alere potuit; pauperi Laza-
 ro micam panis dare, graue duxit. Et obseruatè tenendum est,
 micas negatas inopi, cum toti modij dentur inutilibus, otiosis,
 immò & perniciosis hominibus. Authore Flauio Vopisco, Pha-
 go vir adedò gulosus fuit & vorax, vt adhibitus mensæ Aurelianī,
 aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum, vno
 die, comederit, biberitque horcam vini. Ibi nullius impensæ pœ-
 nituit. Frustrum, immò micas & reliquias panis dare mendico, est
 patrimonium profligare: immò non dare, est profligare humani-
 tatem. Consideranda est igitur humanitas, ait Lactantius, si homines
 rectè

Lactāt. lib. 6.
 diuinar. in-
 stitut. cap. 13.

rectè dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, qui homo sit, & idem, quod nos sumus? discordia igitur, atq; dissensio non est secundùm hominis rationem. Verumq; est illud Ciceronis, quod ait, hominem natura obedientem homini nocere non posse, ergo si nocere homini, contra naturam est: prod-esse igitur homini secundùm naturam sit, necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dissipiat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur ab ijs, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis; si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret; utrùmne succurrendum putent, an minime? non sunt tam impudentes, ut negent, fieri oportere, quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumueniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur; num putent hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest eiusmodi periculis non esse subiectus. Immo verò, & hominis, & fortis viri esse dicent, servare periturum. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum vite homini afferunt, succurrere, humanitatis esse, concedunt, quid causa est, cur si homo esuriat, sitiatur, algeat, succurrèdum esse non putat? quæ cum sint paria natura, cum illis casibus fortuitis, & unam eandemq; humanitatem desiderent; tamen illa discernunt; quia non re ipsa vera, sed utilitate presenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo surripiant, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur, quidquid eiusmodi hominibus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat.

Nam & illud quod dat, perit:

Et illi producit vitam ad miseriam.

CAPVT X.

*Pestifera grauius humani generis flagellum sit,
an Fames?*

SI quemadmodum Ethnicus Poëta fortasse pro persona locutus est, idcirco nihil stipis dandum est mendico, ne illi vita ad miseriam producat; tunc utique vita famelica morte ipsa censetur peior. Et re ipsa peiorem censent, qui

I,